

tribuunt sermonem 191. de tempore, & in eo professionem Pelagii.

Explanatio symboli ad Damasum exeat inter epistolas Hieronymi decima septima, & Hieronymo digna visa fuit, viris etiam gravissimis; sed à Baronio & recentioribus passim habetur ut confessio subdola Pelagii ad Innocentium Pontificem; quo mortuo Romanam perveniens, successori ejus Zosimo tradita est: quo autem gaudio ab eo lecta fuerit, testatur ipsius Pontificis ad Africanos Episcopos epistola, his verbis: *Literas suas Pelagius purgationem continentis abundantissime, misit . . . Utinam ullus vestrum, dilectissimi fratres, recitationi literarum interesse potuisset! Quod sanctorum virorum, qui aderant, gaudium fuit? Qua admiratio singulorum? Vix stetu quidam se, & lachrymis temperabant. Tales etiam absolute fidei infamari potuissent? Estne ullus locus, in quo DEI gratia, vel adiutorium prætermisum sit. Quid autem Pelagius gratiæ, & adiutorii vocibus intellexerat, præter exempla Christi, legem, atque doctrinam?*

Nè quid fraudis deesset (uti Quesnellus mentitur, quinque Articulis omnem suam, suorumque Jansenistarum doctrinam circa quinque propositionum materiam contineri) ita Pelagius fingebat, omnes suos de Divina gratia sensus hac exprimi confessione, cujus dolosam hypocrisim non minus fallax complebat protestatio. *Hæc, inquit, Fides est, Papa Beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamque semper tenuimus, & tenemus. In qua si minus peritè, aut parum cautè, aliquid fortè postum est, emendari cupimus à te, qui Petri Fidem, & Sedem tenes. Sin autem hæc nostrâ confessio Apostolatûs tui iudicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, se imperitum, malevolum, vel etiam non Catholicum; non me hæreticum comprobabit.*

Fraudulenta itaque confessio, sub catholica superficie sensum occultans hæreticum, tunc quidem Sedis Apostolicæ providentiam eludit; sed, ut grave ulcus diu saniem non abscondit, ita & magna scelera diu latere non solent: detecta Pelagii fraude, ab ipso Zosimo damnatus, hæresiarca est, & à Fidelium repulsus. communione. Pelagianæ fallaciæ similis est Quesnelli *Explicatio Apologetica*, & quinque Articulorum confessio: Talis quoque Articulis addita declaratio, quasi omnem illi Quesnellianam de damnatis quinque propositionibus complectantur sententiam.

Hoc fascino obæcare Quesnellus Pontificem non potuit, quò minus in Observationibus moralibus hæreses Jansenii renatas

perspiceret, & ad inferos, unde emerferant, iterato remitteret anathemate. In hoc autem Quesnelliana confessio Pelagianâ deterior est, quòd in Pelagii verbis nullum esset, quòd, si à proferente abstraxeris, suspicionem moveret fallaciæ; at in Quesnelli, & Lalanii Articulis, quidquid Jansenismo quasi oppositum videretur, affectatè non præferat simulationis indicium. Nusquam enim in illis simpliciter, seu absolute asseritur gratia sufficiens, nusquam cum assensu potestas proxima dissentendi, nusquam libertas indifferentiæ, nusquam mors Christi pro salute omnium, vel ullius reprobis. Sed Articulo primo gratia, quæ sufficiens dici potest Thomistarum sensu: Artic. 2. *gratia quam absolute efficacem Thomistæ vocant, huic resisti quidem semper potest, ut iidem docent . . . quod aliis verbis sic expriment, ut resisti posse dicant in sensu diviso, non in sensu composito. Secunda est gratia, quam Thomistæ sufficientem vocant, quæ potestatem largitur, Thomistarum sensu sufficientem. Certum est apud Thomistas auxilium sufficiens &c.* Artic. 3. *Est perpetuò in homine lapsò illud quod Thomistæ statuunt activæ indifferentiæ genus, quam proximam dicere nihil veat.* Artic. 4. *Cum quacunque gratia simul remanet activa, atque, ut supra dictum est, (juxta Thomistas) proxima dissentendi potestas.* Artic. 5. *Christus multis reprobis, omnibusque adeò justificatis meruit gratias, traditâ à Thomistis notione sufficientes.* Ubique autem Thomisticè, in sensu Thomistico, traditâ à Thomistis notione, apud Jansenistas vocabula sunt, quæ sensum ingerant à vulgari, & propriâ nominum, quibus apponuntur, significatione alienum, imò illi contrarium, ut gratia Thomisticè sufficiens, potestas dissentendi juxta Thomistas proxima, indifferentia Thomistica Jansenistis idem sit, ac gratia minimè sufficiens, potestas dissentendi non proxima, indifferentia chimerica. Ita sub Ludovici Montaltii nomine Blasius Paschalis in secunda epistola ad Provinciam, *Curarem publicè à præconibus prædicari, cum omnibus adesse gratiam sufficientem Dominicani dicunt, id eos significare velle, non omnibus adesse gratiam, quæ reverè sufficiat.* Aliàs nullo modo volebat eis sufficientis gratia buccinande potestatem fieri . . . tum ait, *facile cernes hanc gratiam politicè tantum sufficientem esse, proxima potestatis planè gemellam.*

Petrus de Ligny Duacenus Theologus, unus ex Articulorum patronis in professione Fidei ad Episcopum N. N. scribens num. 4. *Declaro, inquit, coram DEO, quòd credam, nullam amplius post Adami lapsum dari gratiam sufficientem: sententiam de hac Molinistarum esse Semipelagianam; Thomistarum autem meram* stul-